nultimo: invenique in margine antehæc à me adscriptum sic fuisse, non puto *mm* signa — affici posse. Hoc autem patet ex ijs quæ habentur in principio paginae præcedentis. Sive enim quod ibi versu 1° legitur *2my*, signum + vel — habeat, semper *m* in sese ductum accipiet signum +, ut in quadratis æquationibus contingere notum est. Tuum vero est deliberare utrum quod Cartesius hic scripsit emendare velis, an in commentarijs tuis difficultatem lectoribus insinuare, fortasse enim quod ille senserit non satis assequimur. *Ελεγε* tuam porro cuius mihi copiam fecisti attentè perlegi, qua quidem multimodis ad absurdum adigis vanissimum Placentini somnium. unum quod de Parallaxeos et refractionum incommodo adijcis non intelligo. Videtur enim neque parallaxis neque refraçtio efficere posse ut luna in meridiano appareat, nisi ibidem revera consistat; quanquam illa quidem magis humilem ostendat, refraçtio rursus aliquantum attollat. Attamen à meridiano non recedet, ideoque et Herigonus utrumque hoc incommodum sua methodo evitasse se profiteatur, quod observationes dirigat ad Lunam in meridiano existentem. Si tibi otium est quæso paucis sententiam tuam hæc in re mihi perscribe. Caeterum magis hoc scire desidero quodnam à Dominis Ordinibus responsum tuleris, gratiasne egerint, an nondum quid decreverint tibi innotuerit. Hoc ut resciscam omnino mea interest. itaque si me amas ne graveris significare quid tibi contigerit. Vale Vir Præstantissime. Circa Cardani regulas quod à me postulabas brevi accipies ¹⁾. sine modò ut chartas atque adversaria mea excutiam.

Mijn Heer Mijn Heer FR. VAN SCHOOTEN, Professor der
Mathematycken inde Universteijt

Tot

Leijden.

N^o 220.

FR. VAN SCHOOTEN à CHRISTIAAN HUYGENS.

27 MARS 1655.

*La lettre se trouve à Leiden, coll. Huygens.
Elle est la réponse au No. 219.*

Clarissimo Viro Domino CHRISTIANO HUGENIO FR. à SCHOOTEN S. P. D.

Difficultatem illam, quam in Cartesij Geometria die Mercurij præterito movebam Tibi, invenio eandem esse cum illa, quam tua Claritas illic loci annotavit. Unde in Commentarijs meis non è re me facturum puto, si indicaverim delendum

¹⁾ Voyez la Lettre N^o. 223.

esse illud *vel* —, quod inter describendum Domino des Cartes, præter ipsius mentem, irreperisse credo. Simile quid reperio contigisse mihi in hoc nupero scripto sive *Ελεγε*. Ubi eò loci, quò de Parallaxi et Refractione loquor delenda potius hæc verba: *So van de Son als Maen*, reperio. quæ tunc inter describendum addidi. Etenim cum tecum non capiam, quo pacto tam Parallaxis quam Refraçtio efficere possit, ut Luna in Meridiano appareat, nisi ibidem reverà consistat, tuncque ipsius Parallaxis et Refraçtio nullam considerationem mereantur: Attamen, quia ad accuratationem istius temporis, quando Meridianum Luna pertingit, atque ad istum modum (sicut ibidem indicavi) summopere est requisita, Sol quidem tunc numquam in Meridiano consistit, sed forte prope Horizontem, quo tempore Refraçtiones maxime sunt, quæque ipsius parallaxi non ita temerè equiparandæ videntur: Fit ut ad tempus illud Lunæ culminantis præcisum etiam tum Parallaxis tum Refraçtionis rationem habendam esse appareat. Similiter Refraçtionis rationem habendam esse constat, si ex altitudine alicujus stellæ fixæ idem tempus acquirere animus sit. Caeterum quum die Mercurij præterito scriptum meum Domino Præsidit Domino scilicet Schuijlenburg ¹⁾ tradens eum rogabam utrum foret necesse ut coram Dominis Ordinibus mentem exponerem, siquidem aliàs me domum esse recepturus, respondit se scire Dominos Ordines tunc literas ex Anglia expectare, ac propterea per plura negotia tunc fortè fieri posse ut scripto meo legendo vacare non possent, ideo se esse authorem ut Hagæ pernoctare velim. Ideoque cum isto eodem die usque ad horam semiseptimam vespertinam Hagæ commorarer, invifens interim nonnullos amicos, ac inter alios Dominum de Strevelshouck ²⁾, Academiae nostræ Curatorem, cujus alterum obtuli exemplar. At ille me rogans utrum cum Domino Blævio ³⁾, Scabino Amstelodamensi esse loquutus, dicens se scire illi quoque istam inventionem ad examinandum esse propositam, monuit ut eundem Dominum Blævium, quem impraesentiarum Hagæ commorantem asserēbar, invifērem, simulque cum ipso scriptum hocce communicarem. Dicens porò consentaneum fore, ut inter nos (prout ipsi indicaveram tibi quoque rem fuisse delatam) conveniremus. Quapropter adiens Dominum Blævium, qui harum rerum se fatebatur incertum, prout illi scriptum meum ostendi, reliqui. Rogabat enim ut sibi liceret id ipsum pervolvere. Sequenti die Hagam reverfus ex Domino Præsidit, postquam Domini Ordines

¹⁾ Joan Schuylenburgh était membre des Etats-Généraux de la part de Stadt en Lande (Groningue). Il semble avoir été le président de la commission chargée d'examiner le projet de Placentinus. Il fut destitué de ses fonctions en 1661, souleva le peuple, fut quasi réhabilité, mais étant gardé à vue, il s'enfuit et passa à Münster, où il entra au service de l'évêque. A Groningue il fut condamné à mort en 1663.

²⁾ Cornelis van Beveren, Noble, Seigneur de Strevelshoek, West-IJsselmonde et Develsteyn, fils de Willem van Beveren et d'Emerentia van den Eynde, naquit à Dordrecht en 1591 et y décéda le 17 juillet 1663. Il fut plusieurs fois bourgmestre de Dordrecht et membre des Etats-Généraux; il remplit plusieurs missions diplomatiques. Depuis 1644 il était curateur de l'Université de Leiden.

³⁾ Joan Blæu, voyez la Lettre N^o. 46, Note 19.

ex conventu jam discesserant, intellexi, ipsos ex parte tantum neque totum illud meum scriptum legisse; atque alijs rem illam ad examinandum quoque fuisse propositam. Unde rogans ego, urrum iudicaret fore necessum, ut illis voce mentem meam exponerem, probaretque an Hagae diutius commorarer, respondit non id esse opus; nisi quid ulterius ab ipsis Ordinibus competere, subindicans eo, ut videret, ut, si pro mercede aliquod praeterderem, id indicare eis vellem. Hinc, postquam respondi me id totum Dominis Ordinibus relinquere, cum nil nisi oblatum officium indicare voluerim, Leydam illico contendi. Cum enim Te tunc Hagae non commemorantem suspicarer, neminem nisi Ducquium nostrum invisi atque illi simul valedixi. Atque haec sunt Praefantissime atque Amicissime mi Hugenii, quae prout circa rem istam contigere Tibi perferibenda habui. Tu autem cura ut valeas, neque amare perge.

Lugd. Bat. 27 Martij 1655.

N^o 221.

CHRISTIAAN HUYGENS à FR. VAN SCHOOTEN.

26 MAI 1655.

*La lettre se trouve à Leyden, coll. Huygens.
Fr. van Schooten y répondit par le No. 222.*

Clarissimo Viro Domino FRANC. SCHOTENIO CHR. HUGENIUS S.


Ex libris illis qui nuper Harlemi venierunt in auctione quorumque catalogum mihi per Dukium exhiberi curasti aliquos in chartula annotaveram quos mihi emptos cupiebam. eam si acceperis, non dubito quin diligenter negotium gesseris, quod sponte suscepisti, et profecto non parum tibi eo nomine me debitum intelligo. Quod si tamen ob immodicum praetium vel alia de causa haberi non potuere facito quaeso ne frustra eos diutius expectem; forsasse enim aliunde conquirendi sese offeret occasio. Pater meus nuper inter manuscripta quae olim à Merfeno missa sunt invenit libros duos Locorum planorum Apollonij ¹⁾ à Fermatio ²⁾ restitutorum. Si

¹⁾ Apollonii Pergaei Libri Duo de Locis Planis Restituti. Ce traité se trouve aux pages 12—43 de l'ouvrage suivant:

Varia Opera Mathematica D. Petri de Fermat, Senatoris Tolosani. Accesserunt selectae quaedam ejusdem Epistolae, vel ad ipsum à plerisque doctissimis viris Gallicè, Latine, vel Italicè, de rebus ad Mathematicas disciplinas, aut Physicam pertinentibus, scriptae. Tolosae. Apud Joannem Pech, Comitiorum Fuxensium Typographum, juxta Collegium P. P. Societatis Jesu. MDCLXXIX. in-folio.

²⁾ Pierre de Fermat, célèbre par ses découvertes dans la théorie des nombres, naquit en août 1601 à Beaumont de Lomagne (près de Montauban), et mourut le 12 janvier 1665 à Toulouse. Nommé, le 14 mai 1631, Conseiller au Parlement de Toulouse, il entretint une correspondance très-étendue avec beaucoup de savants. Il eut une dispute avec des Cartes au sujet des deux traités „De Maximis et de Minimis” et „De inventione tangentium linearum curvarum” qu’il avait adressés à celui-ci.

te scirem eos inspicere velle mitterem lubens, sed credidi causam esse posse cur nolles. Videntur mihi demonstrationes Fermatij tuis demonstrationibus nequaquam equiparandae; multa quoque aut perfunctorie nimis tractavisse aut in totum omisisse. In prima tamen Pappi propositione universali, quae legitur in fine paginae 162, aliquid amplius habet nisi fallor quam à te inspectum sit. Non enim memini videre in tuis, quod si à puncto uno vel duobus rectae duae agantur datum angulum continentes ut AC, BD; habeantque vel inter se datam rationem, vel datum comprehendant spatium, quod tum si unius terminus, puta C, contingat locum planum positione datum etiam alterius terminus D locum planum continget. Haec autem ejusmodi sunt ut etiamsi à te non restituantur, nemo tamen crediturus sit propter difficultatem nimiam praetermissa esse. Vale.



Hagae, 26 Maji 1655.

Mijn Heer Mijn Heer FR. VAN SCHOOTEN
Professör der Mathematycken inde Universiteijt
Tot

Heeressteegh.

Leijden.

N^o 222.

FR. VAN SCHOOTEN à CHRISTIAAN HUYGENS.

29 MAI 1655.

*La lettre se trouve à Leyden, coll. Huygens.
Elle est la réponse au No. 221. Chr. Huygens y répondit par le No. 223.*

Clarissimo Viro Domino CHRISTIANO HUGENIO
FR. à SCHOOTEN S. D.

Ex libris illis, quos in chartula annotaveras, et tibi nuper Harlemi emptos desiderabas, ut et Johannis Kepleri Astronomiam ¹⁾ à fratre tuo per litteras mihi expressam,

¹⁾ Astronomia Nova ΑΠΙΟΑΓΗΤΟΣ, seu Physica Coelestis, tradita commentariis de Motibus Stellae Martis, ex observationibus G. V. Tychoonis Brahe: Jussu & sumptibus Rydolphii, Romanorum Imperatoris, &c: Plurimum annorum pertinentia studio elaborata Praegae, A Saec. Caes. Matris Sae. Mathematico Joanne Keplero. Cum ejusdem Caes. Matris privilegio speciali. Anno aerae Dyonyssiae. c1609. in folio

nullos inveni à Domino van Horne ²⁾, medicinae nostro professore, emptos fuisse. Postquam enim ei dictam schedulam tradideram, illeque difficulter, prout adscripta praetia non vidit, emendi illos negotium in se fumere volebat, cum se quid constarent aut valeret ignarum profiteretur: idcirco ipsi autor fui, ut ea in re pro arbitrio ageret, eosque, quos licet ad iniustum praetium excurrentes, à vobis tamen notatos, videret, omnino vobis compararet. Is autem Harlemo reversus nudius quartus narravit mihi (sicut et ab alijs jam acceperam) se nullos alicui emisse libros, nisi illi qui eorundem praetium exactè illi indicaverat, quandoquidem ad excessivum ita praetium omnes fere ascendisse asseverabat, ut vel eos ipsos, quos sibi, etiam si vel ad iniustum praetium excurrentes, emere constituerat, non tamen coemerit. Porro cum hic apud Bibliopolas fermè omnes quaeviserim Kepleri dictam Astronomiam, ac tandem illam apud Hackium ³⁾ invenerim, eandem praetio 3 florenorum comparavi, quam simul impraesentiarum Fratri tuo transmitto, sperans sic ejus vota expleturum. Mitto item literas, quas nuper Oxonià à Domino Wallis accepi, tibi que communicandas ⁴⁾ duxi; praefertim cum et in illis, quae ad te pertinent, contineri deprehenderim. Quae autem in illis habentur atque Circuli Quadraturam concernunt, cum vix à me capiuntur, quoniam priores ⁵⁾, quas olim ad me dedit, atque ad haec intelligendas planè requiruntur (neque Tibi communicasse scio) penes me non reperio. Quas idcirco vel inter manus tuas, vel certè ipsarum apographum versari debere autumo, quippe aliàs deperditas existimo, neque ego sine illis hisce respondere quidquam valeo. Quapropter Te rogo, ut, quoniam Tibi speculationibus indulgere magis liberum est, vel ex prioribus istis literis vel earum apographo ea faciliè es assecuturus, quae ad harum intelligentiam spectant, examinare haec grave non ducas, tuamque super ijs sententiam ad ipsum perferbas, aut si per me expeditum volis, litteras tuas tunc ad me mittas. In acceptis literis mentionem facit Eclipses praeteriti anni, quas non accepi aut vidi. Praeterea Loca Placa Apollonij, à Fermatio restituta, licet videnti potestatem ultro lubens mihi offeras, amo tamen etiamnum illa me latere, donec post impressionem meorum legendi ea nactus fuero occasionem, ne alibi visa faciliè quis credat me plagiarium aut ab aliquo adiutum fuisse, sed libero animo me dicere posse qualia à me eduntur ita quoque fuisse inventa. Quod ad imam illam propositionem universalem atineret, consultò illam omisi. Quia multas figuras ad illam explicandam aut construendam requiri judicabam, quibus operis impensae plus iusto accrevissent, nec faciliè

²⁾ Johannes van Horne, fils de Jacob van Horne, Directeur de la Compagnie des Indes Orientales, naquit à Amsterdam en 1621 et mourut le 5 janvier 1671 à Leiden. Il fréquenta plusieurs universités étrangères et devint professeur de médecine et de chirurgie à Leiden en 1651.

³⁾ Cornelius Hackius en 1608 fonda à Leiden une maison de librairie, qui resta dans sa famille jusqu'en 1698. Il épousa le 15 avril 1666 Margaretha Elsevier, fille de Pieter le libraire d'Utrecht, née le 24 juillet 1646.

⁴⁾ Nous n'avons pu retrouver ces lettres.

⁵⁾ De ces lettres, qui datèrent de l'automne de 1650 (Voir la Dédicace de l'ouvrage de J. Wallis, cité dans la Lettre N^o. 227), on n'a non plus trouvé aucune trace. Voyez la Lettre N^o. 143.

tunc Typographus aliquis id sibi imprimendum suscepisset, neque etiam ipsa illa propositio adeo elegantes proprietates prae se ferre, sicut maxima pars reliquarum, visa sit, negligi potius quam adponi existimavi. Caeterum quantum ad Dominos Ordines, utrum scilicet in recognitionem nuperi utriusque nostri examinis obtulerint aliquid aut faciendum quidvis statuerint, ignoro planè. Ideoque quae circa haec resciveris quae so lubens communique; unaque si placet, chartas meas, quas circa eandem rem penes te reliqui, transmittas, quia et hic unus aut alter amicus illas videre desiderat. Rem autem omnium gratissimam praestiteris, si modum quo Cardani regulae inventae fuerint perscribere haud graveris. Vale.

Dabam, festinante calamo

Lugd. Batav. 29 Maij 1655.

Intellexi et Dominum Golium similiter à supra dicto Domino Johanne Wallis litteras accepisse, quibus se circuli quadraturam invenisse indicavit.

Aen Monsieur Monsieur, CHRISTIANUS HUGENIUS,
geologeert ten Huijse van d' Heere, CONSTANTINUS HUIJGENS,
Heere van ZUIJLECHEM.

Cito port. N^o. 30. in S'Graven-hage
met een packien. op t pleijn.

N^o 223.

CHRISTIAAN HUYGENS à FR. VAN SCHOOTEN.

5 JUN 1655. ¹⁾

*La lettre, la minute et la copie se trouvent à Leiden, coll. Huygens.
Elle est la réponse au No. 220.*

Clarissimo Viro Domino FRANCISCO SCHOTENIO
CHRISTIANUS HUGENIUS S.

Librorum negotium vellem ut minus scrupuloso commississes, sed jam conqueri ferum est. De Kepleri institutionibus fratris mei nomine tibi gratias ago et praetium restituo, ipse enim Amstelodamum profectus est. Domini Wallis literis quoniam alicubi me tangit video mihi respondendum fore; at quam vellem priores literas ipsius te non perdidisse, nam me quidem tibi eas remisisse certò scio ²⁾. Nunc ex ijs quas tunc temporis ad te dedi repetenda erunt quae ad novas istas Quadraticas

¹⁾ La minute porte cette date.

²⁾ Voir la Lettre N^o. 144.

lineas attinent. Equidem non multo meliora Gregorianis à novo hoc Cyclometra expecto, sed tamen videndum. Domini Ordines quid statuerint circa Examen tuum meumve, non comperi. Veruntamen quia ne verbum quidem renunciari mihi aut gratias agi voluere, dabo operam ut resciscam quo consilio id fecerint.

Cardani regularum inventio per Algebram nostram, quam tantopere exponi tibi desideras, ea est hujusmodi δ). Proponatur aequatio $x^3 \propto -px + q$, hoc est, $x^3 + px - q \propto 0$ sitque inveniendae quantitas x . Augeatur radix quantitate aliqua incognita z ut fit $x + z \propto y$, hoc est $x \propto y - z$. Ergo $x^3 \propto y^3 - 3yyz + 3yz^2 - z^3$ et loco prius expositae aequationis quae erat $x^3 + px - q \propto 0$ erit ista $y^3 - 3yyz + 3yz^2 - z^3 + py - pz - q \propto 0$. Hic quoniam $-3yyz + 3yz^2$ fit ex ductu $y - z$ in $-3yz$; et rursus quod habetur $+py - pz$ fit ex $y - z$ in $+p$, apparet quod si $3yz$ fit $\propto p$, tum se mutuo tollent dicti termini $-3yyz + 3yz^2$ et $+py - pz$, folique restabunt $y^3 - z^3 - q \propto 0$. Sit igitur $3yz \propto p$. Ergo $z \propto \frac{p}{3y}$.

Et aequatio erit $y^3 - \frac{1}{27} \frac{p^3}{y^3} - q \propto 0$. Unde $y^6 \propto qy^3 + \frac{1}{27} p^3$, quae quadrata aequatio est, sitque $y^3 \propto \frac{1}{2} q + \sqrt{\frac{1}{4} qq + \frac{1}{27} p^3}$. Quare $y \propto \sqrt{\alpha \frac{1}{2} q + \sqrt{\frac{1}{4} qq + \frac{1}{27} p^3}}$. Cognita jam quantitate y non ignorabitur z , quae erat $\propto \frac{p}{3y}$. Erat autem $x \propto y - z$. Ergo

$$x \propto \sqrt{\alpha \frac{1}{2} q + \sqrt{\frac{1}{4} qq + \frac{1}{27} p^3}} - \frac{\frac{1}{3} p}{\sqrt{\alpha \frac{1}{2} q + \sqrt{\frac{1}{4} qq + \frac{1}{27} p^3}}}$$

Quae regula facilius videri possit quam Cardani illa, quoniam semel tantum radicem cubicam extrahere opus sit. Caeterum ut ipsam Cardani regulam exhibeamus, quantitatem z similiter ut y ex praecedentibus inveniemus. Nimirum ex eo quod ponebatur $3yz \propto p$ fit $y \propto \frac{p}{3z}$. Unde loco superioris aequationis

$$y^3 - z^3 - q \propto 0 \text{ erit } \frac{1}{27} \frac{p^3}{z^3} - z^3 - q \propto 0. \text{ hoc est } z^6 \propto -qz^3 + \frac{1}{27} p^3.$$

Unde $z \propto \sqrt{\alpha - \frac{1}{2} q + \sqrt{\frac{1}{4} qq + \frac{1}{27} p^3}}$. Cum itaque fuerit $x \propto y - z$.

Erit jam $x \propto \sqrt{\alpha \frac{1}{2} q + \sqrt{\frac{1}{4} qq + \frac{1}{27} p^3}} - \sqrt{\alpha - \frac{1}{2} q + \sqrt{\frac{1}{4} qq + \frac{1}{27} p^3}}$.

Quae Cardani regularum una est. Altera simili methodo invenitur in hunc modum. Detur $x^3 \propto px + q$, sive $x^3 - px - q \propto 0$. Diminuatur radix quantitate incognita z , ut fit $x - z \propto y$, hoc est, $x \propto y + z$. Eritque prioris aequationis loco ista $y^3 + 3yyz + 3yz^2 + z^3 - py - pz - q \propto 0$. Hic rursus si ponatur $3yz \propto p$, tollent se mutuo quantitates istae $+3yyz + 3yz^2$ et $-py - pz$, tantumque supererunt $y^3 + z^3 - q \propto 0$. Sit ergo $3yz \propto p$, hoc

³⁾ Voyez aussi la Lettre N^o. 147.

⁴⁾ Le signe \div n'est autre que celui de soustraction.

est $z \propto \frac{p}{3y}$. Ergo aequatio erit $y^3 + \frac{1}{27} \frac{p^3}{y^3} - q \propto 0$. Unde $y^6 \propto qy^3 - \frac{1}{27} p^3$.

Cujus aequationis ambigua est radix. Fit nimirum $y \propto \sqrt{\alpha \frac{1}{2} q + \sqrt{\frac{1}{4} qq - \frac{1}{27} p^3}}$ vel $y \propto \sqrt{\alpha \frac{1}{2} q - \sqrt{\frac{1}{4} qq - \frac{1}{27} p^3}}$. Quod si porro quaeratur etiam z ex eo quod $3yz \propto p$, uti in prioris regulae inventionem quaesita fuit, rursus ambigua radix aequationis invenietur, utque modo y ita nunc erit $z \propto \sqrt{\alpha \frac{1}{2} q + \sqrt{\frac{1}{4} qq - \frac{1}{27} p^3}}$, vel $z \propto \sqrt{\alpha \frac{1}{2} q - \sqrt{\frac{1}{4} qq - \frac{1}{27} p^3}}$. Itaque alteram radicem sumendo pro z alteram pro y , (etenim ponendum est alteram altera majorem esse) fiet $y + z$, hoc est, $x \propto \sqrt{\alpha \frac{1}{2} q + \sqrt{\frac{1}{4} qq - \frac{1}{27} p^3}} + \sqrt{\alpha \frac{1}{2} q - \sqrt{\frac{1}{4} qq - \frac{1}{27} p^3}}$.

N^o 224.

CHRISTIAAN HUYGENS à JOHN WALLIS.

[13 JUIN 1655].

La minute et la copie se trouvent à Leyden, coll. Huygens.

John Wallis y répondit par le No. 227.

Sommaire: liber meus. Satelles. Setho Wardo.

Clarissimo Eruditissimoque Viro JOHANNI WALLISIO
CHRISTIANUS HUGENIUS S. D.

Cum annis ab hinc tribus ¹⁾ ni fallor Fr. Schoteniuss literas tuas mihi legendas misisset, in quibus linearum curvarum novam inventionem proponebas, iterum nunc alteris acceptis quibus ad Circuli quadraturam eas lineas tendere proferis, has quoque mecum communicandas duxit, rogans simul ut perpenſis ijs non amplius se internuncio uti vellem sed ad te ipsum responſum adornarem; nam se quidem non facile ad mentem contemplationem tuam revocaturum quod priores litterae tuae ad manum non essent, apud amicorum aliquem aut inter chartas deliteſcentes. Facio itaque Vir Clarissime et quod ille desiderat, et quod illo non admonente tamen facturus eram, cum non parum ad me quoque spectare visa sint quae scribis sepius iterata mei mentione. Ad lineas itaque à te propositas quod attinet, rectè existimas ad Geometricarum numerum eas accenſeri posse etiamſi criterium illud nostrum non ferant. atque ego id tantum ostendere volebam non convenire ipsis eam proprietatem quam tribuere velle videbaris, nimirum ut sumptis in tangente ad verticem ab ipſo contactus puncto (ita enim tunc intellexeram) partibus aequalibus magnitudinis arbitrarie (postquam jam curva delineata esset) perpendicularis quae tunc erat prima esset partis unius qualium tertia partium 6. quinta 30 &c. Ejusmodi enim

¹⁾ C'était en décembre 1652. Voir aussi la Lettre N^o. 144.

curva nulla est, sicuti nulla quoque est in qua ipsam quae dixi positus, secunda sit partis 1. quarta 6. sexta 30 &c. Ergo quum pro Geometricis adhuc haberi postules lineas tuas, oportere arbitror ut proprietatem aliquam in singulis designes, per quam puncta quotlibet in ipsis determinari queant. nam mihi nunc tales videntur, ut si per certa quaedam puncta transeant, praeter illa verò nulla definitum locum obtineant. Nam quod aequabiles curvas duci vis, id non videtur sufficere ad exhibendas lineae partes inter bina quaeque puncta interjectas.

Sed fortasse haec ego temere, non intellecta fati sententia tua aut proposito. Itaque praefare arbitror ut examini superfedeam donec universam methodum tuam nobis explanes, quae quidem subtilitate eximium promittit. summopere profecto videre desidero qua ratione ad circulum pertineant novae hae Quadratrices. Theoremata mea de Hyperbolae et Ellipsis Quadratura à te lecta esse mihi gratulor; Quae vero anno praeterito de Circuli Magnitudine Inventae edidi una cum constructionibus nonnullorum problematum, ea an ad vos quoque jam pervenerint dubito. In *Ætæra* mea Quadraturae Gregoriana non omnino immerito id reprehendis, quod pagina 36 linea 2 tantummodo duplicatam, aut triplicatam proportionem commemoro aut ulterius multiplicem secundum numeros ab unitate consequentes. quum tamen ut numerus quivis ad alium ita possit esse ratio ad rationem. Attamen quum ad Patris Gregorij mentem non alia quam duplicata altera alterius ratio illie esse debuisset, ut ex prioribus ipsius Theorematis fati constat, fortasse ne quidem triplicatae mentio mihi faciendae erat, multoque minus alterius cujusquam. et fati fuisset ostendisse non convenire duplicatam. Hanc pro me excusationem adducerem si quam super istis verbis litem antagonista meus moveret. Verum conticere omnes. Et jam me quoque conticescere tempus est, neque orio tuo abuti diutius. priusquam tamen te dimittam accepe hunc quem apud te depono gryphum quemque eodem hoc tempore alijs multis Viris Egregijs impertio, haud multo post omnibus explicandum. Perspicillum mihi nuper paravi ipse 12 pedum longitudine, quo vix aliud praestantius reperiri existimo quam, quum antehac nemo viderit, quod ego recens observavi. Scribitur autem transpositis literis in hunc modum. **ADMOVERE OCVLIS DISTANTIA SIDERA NOSTRIS, VVVVVVVC CRRHNBQX.** *)

Doctissimo Collegae tuo Domino Setho Wardo, **) quem ab editis aliquot opusculis **) nuper novisse coepi si placet haec imperties ut ipsum quoque si quando

*) Seth Ward naquit le 16 avril 1617 à Buntington (Hertford) et mourut le 6 janvier 1689 à Knightsbridge (Londres). Par suite des troubles civils, il ne put obtenir un office public, mais devint tutor de quelques élèves, puis en 1649 Savilian Professor of Astronomy à Oxford, en 1671 chancelier de l'ordre de la Jarretière; comme prélat, il fut nommé évêque d'Exeter en 1662 et de Salisbury en 1667. Il était membre de la Société Royale.

**) In Imnaelis Bullialdi Astronomiae Philolaeae Fundamenta. Inquisitio brevis. Authore Setho Wardo Astronomiae in Celeberrima Academia Oxoniensi Professore Saviliano. Excudebat Leon. Lichfield Academiae Typographus. Anno Dom. 1653. in-4^o. De Cometis ubi de Cometae natura disseritur. Nova cometarum Theoria, Novissimi Co-

opus sit testem habeam nemini ante me id visum fuisse, quod literis istis occultatur. Vale.

*) Saturno luna sua circumducitur diebus sexdecim, horis quatuor. [Chr. Huygens]. *)

N^o 225.

W. BRERETON à CHRISTIAAN HUYGENS.

23 JUIN 1655.

La lettre se trouve à Leyden, coll. Huygens.

Nobilissimo & Praestantissimo Viro CHRISTIANO HUGENIO,
GULIELMUS BRERETONIUS S. P. D.

Quod te frequentioribus literis non salutaverim, sed per tres hosce postremos annos *) inculcam nostram amicitiam reliquerim, in causâ, hoc fuit, Mathematicorum nempè nostratum altum quasi silentium, undè nihil quod tibi gratum esset ad manus meas pervenit; neque defectum istum ex propria penu supplerere potui; quum ob alia negotia, eaque nimium necessaria, mihi non licuit tantum Divae Mathesi cultum praebere, quantum illa postulat. Jam verò quum duas nactus sim novas circuli quadraturas, utramque ad te mittendam censui; ut ex te postea intelligam, an harum autores feliciores evaserint magno illo & prolixo Jesuitâ **) quem hâc in parte, scio-

metae Historia proponitur. Praelectio. Oxonii habita à Setho Wardo, in Celeberrima Academia Astronomiae Professore Saviliano. Cui subjunctâ est Inquisitio in Imnaelis Bullialdi Astronomiae Philolaeae Fundamenta. Eodem Authore. Oxoniae. Excudebat Leon. Lichfield Academiae Typographus. Anno Dom. 1653. in-4^o.

Idea Trigonometriae Demonstratae (In usum Juventutis Oxoniensis). Item Praelectio de Cometis et Inquisitio in Bullialdi Astronomiae Philolaeae Fundamenta. Authore Setho Wardo, in Academia Oxoniensi Astronomiae Professore Saviliano. Oxoniae. Excudebat L. Lichfield Academiae Typographus. 1654. in-4^o.

*) Dans la minute de la Lettre N^o 223, on trouve les phrases suivantes, que Chr. Huygens avait taché de convertir en anagramme:

In Saturno novilunia recurrunt post dies sexdecim cum sextante.
Saturnum sua luna circuit diebus sexdecim cum sextante.
Luna bis octonis Saturnia regna diebus lustrat.

*) Voyez la Lettre N^o 123 du 29 mars 1652.

**) Gregorius à St. Vincentio.

po suo excidisse, iamdudum demonstrasti. Hoc tamen omnino moneri te oportet, quod Hobbius, iam post impressum librum³⁾; quadraturae suae non tantum tribuit, quantum in ipso libro. Neque ipsi displicet, si quid ipsi placidè & solidè opponatur; verum Sciorum obtreccationes & frivolas responsiones vix lectu dignas putat.

Fratres tuos Ludovicum & Philippum, unà cum Eyckbergio & van Leuwen, vt meo nomine salutes, rogo, & quod reliquum est cum me Vale.

Londini, Junij 13/23 1655.

Si quando ad me rescribere tibi libuerit, literae (si videbitur) hoc modo inscribantur.

FOR WILLIAM BRERETON Esquire,
Leave these with Mr. JOHN TAILOR
a Silkman at the white-horse
in Laurence-lane in London.

et mihi vicissim (si placet) scribas quomodo ad te postea mittendae sunt literae *).

Nobilissimo & Praestantissimo VIRO CHRISTIANO HUGENIO.
Hagae Comitum.

* Includerat his literis idem folium J. Wallisij quod in literis auctoris inuenies. [Chr. Huygens.]

N^o 226.

CHRISTIAAN HUYGENS à G. A. KINNER a LÖWENTHURN.

[JUN 1655.]

*La minute et la copie se trouvent à Leyden, coll. Huygens.
La lettre est la réponse au No. 221. Kinner à Löwenthurn y répondit par le No. 247.*

KINNERO. S. D.

Diu est quod nihil ad te literarum dedi Kinnere Nobilissime, neque ad alium fere quemquam nisi quas necessitas expressit. Jamque procul dubio inofficiosus audio et indiligens cum tamen fuerim occupatissimus. Artem quandam impense exercui quam si velis fellulariam appelles licet, dum fatearis non leve adjumentum astrono-

³⁾ On retrouve ce traité sur la quadrature du cercle dans l'ouvrage publié plus tard: Thomae Hobbes Malmesburenensis Problemata Physica. De Gravitate Cap. 1. De Aëlibus Marinis Cap. II. De Vacuo Cap. III. De Calore et Luce Cap. IV. De Duro et Mollis Cap. V. De Pluvia, Vento, aliisque Coeli veritatibus Cap. VI. De Motuum Specibus Cap. VII. Adjunctae sunt etiam Propositiones duae de Duplicatione Cubi & Dimensione Circuli. Londini. Apud Andream Crooke in Caemiterio D. Pauli sub Signo Draconis Viridis. 1662. in-8^o.

micae scientiae praebere ipsam, ac proinde Philosophiae Univerſae. Vitris expolendis operam dedi scilicet, et telescopia fabricavi, eo quidem successu ut non tantum Jovis satellites et cornutam Venerem conspicerè ijs liceat, quae tibi quoque visa scribis, sed aliud quid memorabile, quod nec à Fontana nec ab Hevelio deprehensum est. Galilaei exemplo transpositis literis observationem hanc tibi committere visum est, alijsque coeli spectatoribus. ut si quid novi detexere id profiteri velint, sin minus, ne postmodum negare audeant me acutius cernere, et quod nullus erat velut occupanti jure gentium cedant. Literae transpositae sunt istae. ADMOVERE OCVLIS DISTANTIA SIDERA NOSTRIS VVVVVVC CRRHNBQX. Has tibi postea alio ordine legendas dabo, Interim omnibus qui vel praestantissimis tuis se instructos existimant, easdem impertiri poteris. Gaudeo te posterioribus literis sententiam ferre aequiorem de studio astronomico, quam è praecedentibus colligi posse videbatur. Fatendum enim profecto diligentia coelestium observationum tandem homines didicisse universi hujus ordinationem, quoque loco à natura repositi sint, caelum denique an terra moveatur. Theorematis utriusque quam mihi proposuisti demonstrationem non difficile inveniri, neque tamen hic adjungam, quod ad iter in Galliam *) me accingenti, negotia non pauca insunt. Vale.

N^o 227.

J. WALLIS à CHRISTIAAN HUYGENS.

1 JUILLET 1655.

*La lettre se trouve à Leyden, coll. Huygens.
Elle est la réponse au No. 224.*

Clarissimo Doctissimoque VIRO DOMINO CHRISTIANO HUGENIO S.

Literas tuas (Eruditissime Vir) Hagae Comitum datas Jun. 13. 1655. st. n. hoc ipso die accepi, et lubenti animo acceptavi. Quae de Curvâ nostrâ habes, non est cur multis ventilem. Geometricam istam esse, ubi intelligas (quod, spero, jam citò fiet) quomodo istuc pervenerim, non fore credo ut dubites. Quatenam autem illa sit aequatio quae singula indifferenter respiciat puncta, id ipsum erat quod Domino Schoteno considerandum proposui, in quo et ipsum opem si vacaret expectivi. Quousque illam disquisitionem ipse perduxeram, ut etiamnum perduxerim, brevi spero fiet ut intelligas; tractatus enim aliquot sub prelo jam aliquandiu habui, qui nisi Typographorum morae impedissent diu antehac lucem conspexerant: unde etiam simul intelligas quare ad Circulum pertineant et illa et aliae curvae illuc expositae. Nec tantum ad Circulum (cujus solius mentio facta est in illa quam ad Dominum Schoteno nuper transmisisti chartulâ) sed et ad Ellipsin, Hyperbolam, Parabolam, Paraboloidea omnigena, aliasque figuras curvilineas innumeras quadrandas; sed et ad

*) Le 28 juin Christian Huygens entreprit ce voyage en France avec son frère Lodewijk et son cousin Philips Doublet. [Dagboek.]